

copi recusetur. In duobus posterioribus casibus Episcopus est qui videt causam suspicionis *cit. c. 4. h. t. in 6.* In prima hypothesisi vero causa suspicionis coram conjudice non recusato proponenda et expedienda est.

42. Antequam tituli tractationem expleamus, occasione *capp. 1. et ult. h. t. in 6.* aliquid dicendum est de iudicibus qui dicuntur conservatores. Inter varia privilegia quibus a S. Sede decorabantur Ordines Regulares, universitates studiorum ac quandoque etiam Capitula, illud fuit ut peculiarem sibi iudicem assumerent qui privilegia eorum tueretur, et appellatus est iudex conservator. De iudicibus conservatoribus agit etiam Tridentinum in *c. 5. sess. 14. de Ref.* Iudices conservatores eligendi sunt in Diocesi ex cœtu iudicum synodali, et postquam fuerint electi, eorum nomina ab electoribus sunt insinuanda intra sex menses in Curia episcopali. Ita statutum est a Gregorio XV. in Const. quæ incipit '*Sanctissimus*'. Quod si vero iudices synodales non haberentur, concessum est ut possent etiam aliquam personam assumere, dummodo tamen instructa esset qualitatibus a Bonifacio VIII. in *c. Statutum XI. de Rescr. designatis.* Hujus tamen electi iudicis jurisdictionis cessat statim ac in Synodo fuerint creati iudices synodales. Ita docet *Bened. XIV. de Syn. Diœc. Lib. 4. cap. 6. n. 3.* allegans alios auctores, inter quos *Fagnanum com. ad c. 2. h. t. n. 3.*

43. Olim magnam habebant auctoritatem iudices conservatores, et a privilegiatis personis etiam quoad causas civiles eorum potestas invocabatur. Innocentius IV. vero in *c. 1. h. t. in 6.* statuit, conservatores iudices posse defendere privilegiatos a manifestis injuriis et violentiis, nec ad alia quæ iudicalem indaginem exigunt suam posse extendere potestatem. Eandem dispositionem renovavit Bonifacius VIII. in *c. ult. h. t.* sub pœna suspensionis ab officio per annum. Renovarunt insuper hanc dispositionem Pontifices posteriores *Clemens VIII. in Const. 3. Bullar. t. 3. et Gregorius XV. in Const. n. 9. Bullar. t. 3.* Et S. Congr. Conc. interrogata die 28. Julii 1657. 'an Regulares habentes conservatorem, si rei sint, in causis requirentibus iudicalem discussionem et indaginem, conveniri queant coram eodem Conservatore', resp. '*Negative sed provocandum esse ad Ordinarium loci*'. In causa autem Jannensi proposita die 20. Febr. 1723. inter Patres Soc. Jesu et Patres Carmelitas excalceatos s. Congr. respondit, conservatorem procedere posse solummodo in casibus manifestæ injuriæ et vio-

lentiæ, et quando Patres sunt rei conventi. Immo in celebri causa Angelopolitana inter Joan. Palafox Episcopum et Patres soc. Jesu proposita die 16. Aprilis 1648. confirmata ab Innocentio X. die 14. Maji. 1653. in resp. ad 1^{m.} et 2^{m.} S. Congr. respondit, non licere Regularibus conservatores eligere sive cum Ordinarius præcipit ipsis observantiam decretorum Tridentini in illis casibus, in quibus sive vi ipsius Concilii, sive Apostolicarum Constitutionum Regulares exempti subjiuntur jurisdictioni Episcopi; sive cum Ordinarius juris ordine servato procedit adversus ipsos Regulares in casibus, in quibus Regulares subjiuntur Ordinariis. Quare hisce positis exceptionibus officium conservatorum est, ut in causis manifestæ violentiæ et injuriæ efficaciter, idest etiam adhibitis censuris, possint coercere adversarios violantes jura, possessiones, privilegia Regularium *c. 1. h. t. in 6.* Cfr. *Fagnan. Com. in c. XI. h. t. et Bened. XIV. de Syn. Diœc. Lib. 4. c. 6.*

Hodiernis vero moribus auctoritas seu jurisdictionis conservatorum fere disparuit, et negotia omnia Regularium et aliorum cœtuum privilegiatorum quoad eorum privilegia ordinarie tractantur et definiuntur a ss. Congregationibus.

TITULUS XXX.

De officio Legati.

1. Legatus in genere est ille qui eligitur et mittitur cum potestate ad eminentem personam vel in aliquam provinciam ut spiritualia negotia administret. Potest mitti ut personam mittentis Pontificis, vel ut Sedem Apostolicam repræsentet. Hodie solent mitti nomine S. Sedis, ac proinde eorum jurisdictionis induit naturam ordinariæ jurisdictionis; mortuo enim Pontifice, perseverat jurisdictionis Legati.

2. Ab ipsa antiquitate Legati Apostolici in duas classes divisi sunt, ut alii mitterentur absque jurisdictione, sed ad exequendum nudum ministerium; alii autem cum jurisdictione. Primi mittebantur ad Principes laicos, ut patrocinio suo protuerentur et expedirent aliquod negotium cum Principe; et hi appellabantur Apocrisarii, seu Responsales. Etenim Romani Pontificis mandatum Principi proponebant, et Romano Pontifici Principis responsum referebant. Alii vero legati erant cum vera jurisdictione, et habebantur tamquam veri iudices Ordinarii.

3. Qui legati cum jurisdictione dividuntur in duplicem classem, ut alii sint nati, alii missi, et missi alii sint a latere, alii simpliciter missi. Legati nati illi appellantur quorum dignitati quam in Ecclesia possident adnexa est jurisdictio, seu legationis munus, et nati dicuntur, quia eo ipso quod ad dignitatem illam assumuntur, adnexam potestatem obtinent. Primitus vocabantur Vicarii Romani Pontificis. A sæculo 4. et 5. jam vidimus hos Vicarios constitutos fuisse. Thessalonicensis Episcopus in Illirico a s. Damaso, a s. Simplicio Hispalensis Episcopus in Hispania Vicarii Apostolici creati sunt. Inde etiam Tarraconensis Archiepiscopus adjunctus est ab Hormisda, a quo Pontifice etiam S. Remigius Rhemensis Archiepiscopus in Gallia Vicarius Romani Pontificis fuit constitutus. Cui adjectus fuit Episcopus Arelatensis. Pariter in Germania Salisburgensis Episcopus, et in Italia Episcopus Pisanus Vicarii Rom. Pontificis statuti sunt.

4. Hi Vicarii Rom. Pontificem repræsentabant et Petri auctoritate decorabantur participes effecti sollicitudinis apostolicæ in Provinciæ cujusdam regimine sustinendo. Horum Vicariorum præcipuum officium erat, Synodos provinciales congregare, eis præesse, Ecclesias visitare, inquirere et probare qualitates eorum qui ad dignitatem episcopalem promovebantur, et Metropolitanos consecrare. Studebant etiam ut a Metropolitanis non prætermitterentur conventus synodales. Conferri poterit in hac re opus Pii VI. sum. Pont. cui titulus: Responsio ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensis et Salisburgensem super Nuntiaturis Apostolicis ed. Romæ 1789.

5. Eorum inde nomen in illud Legatorum natorum immutatum est, et plures Sedes adeptæ sunt dignitatem ut cujusque earum Episcopus censeretur, vi pastoralis officii, Legatus natus S. Sedis. Cum Rom. Pontificem repræsentarent isti Episcopi, primitus considerabantur ceu judices in gradu appellationis, sed deinde etiam in prima instantia majoris momenti causas videre potuerunt; ita ut ab eorum sententia non nisi ad Apostolicam Sedem appellaretur. Verum paulatim imminuta est eorum auctoritas; nam solitus fuit Rom. Pontifex mittere peculiare legatos, qui aliquod negotium gerendum, vel genus quoddam causarum videndarum habebant, quique vincebant auctoritate legatos natos. Præsertim vero usque ab antiquitate consueverunt Rom. Pontifices legatos suos extraordinarios mittere ad Concilia Oecumenica, ut loco sui Concilio præessent, et fidem catholicam tuerentur. Sæculo autem XIV.

multiplicatis legatis missis factum est ut sensim sine sensu desineret potestas et officium legatorum natorum; donec sæculo XV. potestas hæc penitus cessasse dicenda est; ita ut quoad quasdam Sedes ex. gr. Coloniensem, Salisburgensem et Pragensem in Germania solummodo supererint quædam jura honorifica. Sed remansit in facto Legatio Apostolica in Sicilia, quæ appellabatur *regia monarchia*, quæque habebat suum judicem, ministros et officiales. At nuperrimis temporibus Legatio hæc penitus abolita fuit a S. M. Pio IX. in *Const. 'Suprema'* V. Kalendas Februarii an. 1864. publicata die 10. Octobris 1867; et per alias literas apostolicas in forma brevis V. kal. Februarii 1864. definitus est modus pertractandi causas quas tribunal Legationis solitum erat pertractare. Conferri potest opus clarum *Cavagnis de Jure Publico Ecclesiastico tom. 2.*

Cessantibus, ut dictum est, Legatis natis, Nuntiorum apostolicorum origo inceptit. De his aliquid inferius dicemus.

6. De Legatis qui missi dicuntur. — Quædam sunt communia omnium Legatorum missorum, sive quoad potestatem sive quoad officium. 1º. Legati potestas in provincia sibi commissæ est ad modum potestatis ordinariæ. Hinc non expirat morte Pontificis *c. 2. h. t. in 6.* Quare Legati missi non appellantur *Legati Pontificis*, sed *Legati S. Sedis*. Ex quo sequitur Legatum jure appellationis videre posse causas omnes ecclesiasticas Provinciæ, et jure antiquo habuisse etiam cum Ordinario loci cumulativam potestatem causas decernendi in prima instantia. Jure autem Tridentino expresso in *c. 20. sess. 24. de Ref.* Legatus videre non potest causas in prima instantia nisi in casu, quo post biennium a die motæ litis non fuerint ab Ordinario definitæ. Causæ enim omnes in Diœcesi cognosci debent in prima instantia ab Ordinario, nec recursus conceditur ad Judicem superiorem nisi post sententiam definitivam, vel post sententiam quæ habeat vim definitivæ, vel nisi infra biennium a die motæ litis computandum Ordinarius loci causam terminaverit.

2º. Jurisdictio ordinaria Legati quoad spiritualia et ecclesiastica negotia exercetur vice Pontificis, ac proinde supereminet jurisdictioni episcopali, et est ad instar Supremæ potestatis *c. 2. h. t. in 6.* Non potest vero Legatus quilibet inconsulto Pontifice majores causas pertractare, quæ ut dicunt 'in signum prærogativæ singularis' Pontifici reservantur. Quare translationes Episcoporum ex *c. 3. h. t.*, uniones Ecclesiarum Cathedralium ex *c. 4. eod.* et alia hujusmodi nullus Legatus vi mandati generalis perficere potest.

3°. Legati in sua provincia statuta condere possunt perpetua; idest quæ ad instar legis vim habeant etiam post eorum mortem vel finito legationis tempore *c. ult. h. t.* Hæc vero statuta non possunt s. Canonibus et legibus generalibus Ecclesiæ obviare ex *can. 'Superior' Dist. 21.*

7. Si quærat quod sit officium omnium Legatorum S. Sedis, responderi potest ex *c. 2. h. t. in 6.* illud esse ut 'evellant et dissipent, ut ædificent et plantent'. Equiparantur scilicet proconsulibus aut præsidibus Romanis, quibus committebatur provincia gubernanda, quique ideo consequentur amplissimam potestatem, ut opera sua provincia sub imperii obedientia contineretur. Est ergo officium Legatorum ut supremam in ecclesiasticis negotiis inspectionem exercent, constitutionum apostolicarum observantiam procurant, abusus cohibeant, mores depravatos et defectus corrigant, tum principum tum populorum concordiam et obedientiam erga sum. Pontificem foveant, et ea quæ ad bonum Ecclesiæ conducere viderint S. Sedi referant.

8. De Legatis a latere in specie. Legatus a latere eligitur ex Collegio S. R. E. Cardinalium, et a latere dicitur quia Cardinales residere debent in Curia cum Pontifice, nisi aliter huic videatur, ac proinde quando mittuntur in aliquam regionem, censentur mitti et ad tempus divelli a latere Pontificis. Legatorum a latere quædam specialia sunt. Et 1°. statim ac egreditur ab Urbe, ubi residet Curia Pontificis, potest Legatus a latere insignia legationis assumere ac sese habere ceu legatum etiam extra provinciam suam et usque dum Urbem iterum ingrediatur. Quare potest crucem erigere et fideles benedicere. 2°. Post egressum ab Urbe et usque ad reditum in eandem potest Legatus a latere exercere jurisdictionem voluntariam etiam in personas extraneas a sua provincia, et sibi non subditas *capp. 4. et 9. h. t.* Hinc absolvere ab excommunicatione potest violentos percussores Clericorum *cit. capp. et c. 20. De Sent. Excomm.* Quoad vero alias censuras sum. Pontifici reservatas variant Doctores. Alii cum Abbate in *c. 9. h. t. n. 4.* sententiam negativam tenent; eo quia, cum in jure expressus sit casus percussione Clericorum, alii casus censurarum non expressi præsumuntur exclusi a potestate Legati a latere. Alii autem cum Azorio *part. 2. l. 5. cap. 32. q. 6. n. 27.* tenent posse Legatum a latere absolvere etiam ab aliis censuris Papæ reservatis. Ratio est, quia casus isti censurarum censentur in mandato

generali comprehensi ob amplissimam auctoritatem Legati a latere. Quare casus excommunicationis ex percussione Clericorum relatus est in jure non ad alios casus excludendos, sed speciminis gratia. Excipiunt vero illas censuras quas Pontifex in sua Constitutione ita sibi reservat ut nullus alius præter Rom. Pontificem possit ab iis absolvere. Fateor primam sententiam melius cohærere verbis et intentioni *c. 4. h. t.* 3°. Præsente Legato a latere in provincia tacet auctoritas aliorum legatorum inferiorum; qui nempe nec insignibus legationis uti, nec negotia pertractare possunt *c. 8. h. t.* Excipi debent iudices delegati ad videndam et decernendam causam peculiarem; hi enim possunt etiam officium suum exequi adveniente Legato a latere; namque mandatum speciale derogat generali *c. 2. h. t.* — 4°. Jure communi possunt hi Legati a latere conferre beneficia etiam in concursu cum Ordinario loci cum in sua Provincia vacant *cap. 6. h. t. et c. 1. h. t. in 6.* Excipiuntur vero primæ dignitates seu prælaturæ Ecclesiarum cathedralium, regularium et collegiatarum *c. 4. h. t. in 6.* et beneficia jurispatronatus laicorum *c. 28. de Jur. Patron.* nec non beneficia litigiosa *capp. 1. et 2. Ut lite pendente.*

9. De aliis Legatis missis juxta hodiernam disciplinam. — Etiam hodie solet sum. Pontifex suos legatos mittere, et alios quidem mittit ad aliquod grave negotium expediendum, ita ut completo negotio, Legatus ad Urbem redeat, cessetque legatio. Frequenter mittuntur Legati isti ad deferendum birretum rubrum novis electis Cardinalibus in exteris nationibus, et solent appellari Ablegati. Sunt vero alii qui funguntur legatione stabili, quique dicuntur residentes et mittuntur nomine S. Sedis, quique proinde officium et potestatem retinent, etiam mortuo sum. Pontifice. Solent autem Legati isti mitti ad supremos Principes civiles. Et quidem si commorantur apud aulas majores dicuntur Nuntii, si vero mittuntur ad aulas minoris gradus, appellantur Internuntii aut etiam Delegati Apostolici. Nuntii quidem caractere episcopali decorantur, et hodie etiam Internuntii, non sic vero semper Delegati Apostolici. Si contingat aliquem S. R. E. Cardinalem fungi debere munere Nuntii Apostolici, Pro-Nuntius appellatur. Nuntiaturæ erectæ sunt Viennæ an. 1581.; Lucernæ an. 1586.; Bruxellis an. 1597. atque inde etiam aliæ institutæ sunt Parisiis, Monachii etc.

10. Officium Nuntiorum et reliquorum Legatorum residentium duplex est. Scilicet 1°. mittuntur ad Regem, Imperatorem et ad

Reipublicæ Praefectum ut studeant conservare pacem et concordiam inter S. Sedem et Principem laicum, et generalia negotia Principatus civilis cum sum. Pontifice pertractent. Quoad hæc omnia ipsi instructiones recipiunt a S. Sede quibus inhærere debent, et ad ipsam S. Sedem debent responsa gubernii civilis referre. Quare sub hoc respectu Nuntii Apostolici æquiparari aliquo modo possunt antiquis Responsalibus et Apocrisariis S. Sedis apud aulam imperatoriam Constantinopolitanam. — 2^{um} Officium Nuntiorum est relate ad Episcopos et fideles regni, quo sub respectu sunt veri iudices et Ordinarii. Habent enim ab Apostolica Sede facultates quibus ordinario modo utuntur. Eorum potestas melius dignoscitur ex literis mandatum referentibus. Quamvis vero in his literis mandatum aliquando concedatur 'cum potestate legati a latere'; tamen hæc clausula, quæ in jure communi non legitur, sed ex stylo Curiae adjungitur, non habet efficaciam ut Nuncium Apostolicum revera constituat Legatum a latere, illique tribuat jura et honores Legati a latere, sed vim exerit relative ad ea quæ in mandato continentur, quæ in ampliori forma solent committi talibus Legatis, qui proinde in negotiis sibi commissis procedere possunt potestate plena. Conferatur 'Responsio Pii VI. ad Metropol. Mogunt. Treviren. Colonien. et Salisburgen. super Nuntiaturis Apostolicis' Romæ 1789 supra cit.

11. De cessatione potestatis Legatorum missorum. — Finitur horum potestas: 1^o. Finito tempore legationis, si legationis munus fuit temporaneum *arg. c. 4. de Off. et pot. jud. delegati*. 2^o Revocatione mandati, quæ fuerit legato intimata. Etenim ante legitimam intimationem potest legatus negotia valide peragere *c. 4. De restit. spoliat. § ut.* 3^o. Cum legatus sponte egreditur provinciam propriam cum animo ad eam non revertendi *c. ult. h. t.* Excipitur tamen 1^o. si quis fuerit legatus ad plures provincias, et ex una ad aliam transierit; nam hic legatus in qualibet ex suis provinciis potest jurisdictionem exercere etiam quoad alias *c. 7. h. t.* — 2^o. Excipitur Legatus a latere, qui egressus provinciam suam honorem servat et facultatem absolvendi ab excommunicatione percussores clericorum usque dum in Urbem ubi Pontifex comoratur pedem non posuerit. — 4^o. Tandem delata causa aliqua vel negotio ad sum. Pontificem, in ea causa vel negotio manus amplius Legatus apponere prohibetur *c. 5. h. t.*

TITULUS XXXI.

De officio Judicis Ordinarii.

1. Judex Ordinarius ille est, qui exercet magistratum proprium, idest habet jurisdictionem ex suo officio et jure, non vero ex alterius beneficio seu mandato. Ipsam Christi Ecclesiæ originariam institutionem et modum constantem existendi ipsius Ecclesiæ inspicientes, deprehendimus, quosdam magistratus existere, qui jus habent regendi populum Christianum. Opinio eorum qui tenent, Christum Dominum omnes fideles fecisse æquales, et pastores non esse nisi repræsentantes cœtus fidelium, quibus pastoribus fideles ipsi potestatem a Christo acceptam conferant, jam explosa est; et certum exploratumque est jure divino admittendum esse in Ecclesia principatum sacrum, cui ab ipso Christo potestas collata est gubernandi ac dirigendi fideles ad finem supernaturalem æternæ salutis consequendum. Etenim quosdam ex credentibus ipse Christus Dominus elegit eisque munus prædicationis et regiminis commisit; ita ut in institutione Ecclesiæ antea fuerint constituti doctores et pastores quam populus fidelis cognitus et determinatus. Verum hæc innuisse sat est. Nam scopus noster est exponere juris canonici elementa, et ea quæ pertinent ad divinam Ecclesiæ constitutionem extranea sunt a nostra tractatione; bene vero pertinent ad expositionem juris publici ecclesiastici. Accedamus ergo ad explicandos gradus hierarchiæ ecclesiasticæ.

2. Sacer principatus jurisdictionis pluribus gradibus resultat. In sacris canonibus reperimus post Romanum Pontificem Patriarchal. Primates in Occidente, Exarchas vero in Oriente, Archiepiscopos, Episcopos, et Prælatos qui inferiores vocantur, qui veluti majores jurisdictionis gradus constituunt; reperimus etiam et Archidiaconos, Archipresbyteros, et inde Chorepiscopos et Parochos.

3. Quæri posset an omnes isti gradus a jure divino sint repetendi, vel non? Hæc quæstio eo reducitur ut determinetur utrum in divina constitutione Ecclesiæ gradus hujusmodi omnes vel aliqui tantum reperiantur? Certum est, non omnes ad divinam constitutionem Ecclesiæ pertinere; nam ex historia ecclesiastica notum est, aliquos gradus disparuisse aut substantialiter in propriis jurbus immutatos fuisse. Dicendum ergo est, duos tantum gradus jurisdictionis jure divino fuisse institutos, primatiales nempe et episcopalem jurisdictionem; primatiales quæ in Rom. Pontifice,